

DE PIETATIS CULTU QUMRANENSI*

SUMMARIUM. — Notitiis de ipso manuscripto (IQS) atque ejus argumento generali brevissime praemissis, de fine Institutū Qumranensis, de continua meditatione Scripturae jugique oratione ibi vigentibus, de quibusdam formulis precum e locorum testimonio disseritur.

Quae in hoc articulo quasi «ramenta studii textualis circa manuscriptum ad Mare Mortuum inventum cui nunc est titulus *Serek ha-yahad*» ab auctore proposita continentur, novis studiis circa hanc materiam peractis suo tempore complebuntur.

Clarissimus prof. Nötscher in praefatione sui studii de vocabulario theologico in manuscriptis ad Mare Mortuum inventis recurrente¹ lau-

* Sigla adhibentur sequentia :

BOCCACCIO-BERARDI, *Regula...* : P. BOCCACCIO - G. BERARDI, *Srk hyhd, Regula unionis seu Manuale Disciplinae* (cf. notam 4).

BRAUN, *L'arrière-fond...* : F.-M. BRAUN, P.O., *L'arrière-fond judaïque du quatrième évangile et la Communauté de l'Alliance* (cf. notam 13).

BROWNLEE, DSD : W. H. BROWNLEE, *The Dead Sea Manual of discipline* (cf. notam 4).

BURROWS, *Schriftrollen...* : MILLAR BURROWS, *Die Schriftrollen von Toten Meer* (cf. notam 3).

BZ (NF) : *Biblische Zeitschrift (Neue Folge)*.

DAVIES, *Qumran* : A. POWELL, DAVIES, *The Meaning of the Dead Sea Scrolls* (cf. notam 6).

DELCOR, *Contribution...* : M. DELCOR, *Contribution à l'étude de la législation des sectaires de Damas et de Qumran* (cf. notam 12).

DSD : *Dead Sea Manual of Discipline* (cf. notam 5).

DSH : *Commentarium ad Librum Habacuq* (cf. notam 9).

DSS : *The Dead Sea Scrolls of St. Mark's Monastery* (cf. notam 4).

MILIK, *découvertes* : J. T. MILIK, *Six ans de découvertes dans le désert de Juda* (cf. notam 3).

MOLIN, *Söhne des Lichtes...* : G. MOLIN, *Die Söhne des Lichtes...* (cf. notam 4).

RABIN, *Documents* : CH. RABIN, *The Zadokite Documents* (cf. notam 10).

RB : *Revue Biblique*.

VD : *Verbum Domini*.

VERMÈS, *ms vel manuscrits* : G. VERMÈS, *Les manuscrits du désert de Juda* (cf. notam 4).

WERNBERG, *Manual* : P. WERNBERG-MØLLER, *The Manual of Discipline* (cf. notam 4).

IQS : *Manuale Disciplinae* (cf. notam 5).

IQSa : *Regula Congregationis* (cf. notam 75).

IQpH : *Commentarium ad Librum Habacuq* (cf. notam 9).

In hoc articulo singula vocabula et loci omnes e *Serek ha-Yahad* prolati a nobis e primigenio textu Hebraico (secundum editionem photographicam DSS II/2) in latinum sermonem convertuntur.

¹ F. NÖTSCHER, *Zur theologischen Terminologie der Qumran-Texte*, in *Bonner Biblische Beiträge* 10, Bonn 1956, p. 9.

dat R. P. De Vaux qui paulo ante scripserat: « Mais le temps n'est encore venu ni pour les synthèses ni pour les vulgarisations », ² attamen concedit in documentis hucusque repertis jam ita apparere communitatis Qumranensis mentem et animum, ut studia de re proposita, si caute procedatur, saltem impossibilia non sint.

Nostri autem non est vel ex omnibus textibus summam conficere vel res apud Qumrân gestas vulgo narrare, sed visum est nobis nonnulla ex iis quae de pietatis cultu apud Qumrân vigente in *Serek ha-Yahad* seu *Manuali Disciplinae* continentur lectoribus pandere.

Sed qui de his plura desiderat articulum in nota praecedenti laudatum adire poterit; nos autem ad ipsum textum nostri IQS redeamus. Ne autem de fine quem brevi articulo huic proposuimus oriatur dissensio, juvat adjungere nostrum non esse confectam exponere summam de universa *Manualis* doctrina, neque totam de pietatis cultu doctrinam hisce in paginis nos evolvere posse, sed mentem nostram in eo esse ut locos quosdam, qui hujus doctrinae fundamenta constituent, velimus proferre, discutere breviter, dijudicare.

Agitur de paene integro volumine scorteo 1,80 metrorum, latitudine 24 cm quod a beduinis 1947 prope 'Ain Fešha ad Mare Mortuum in spelunca quae nunc 'prima' appellatur inventum, deinde syriaco archiepiscopo schismatico Samueli, monasterii S. Marci praesuli, venditum denique anno 1954 unâ cum aliis manuscriptis ab Universitate Hebraica emptum est. ³ *Manuale Disciplinae* titulus primigenius quidem non est, cum nostrum manuscriptum paululum mutilum primis lineis ac proinde etiam titulo hodie careat, sed positus a primo editore Millar Burrows ⁴ et hodie sat vulgatus. Auctores Germanici saepius loquuntur

² Ibidem citatur *Revue Biblique* 62, 623; sed error in praelum irrepsit, nam locus prolatus invenitur RB 62 (1955) 632.

³ Quomodo manuscripta ad Mare Mortuum inventa sint et quae inde circa illa a diversis partibus gesta sint bene exposita leges apud MILLAR BURROWS, *The Dead Sea Scrolls*, cap. I.; de quo libro mihi in promptu non est nisi Germanica versio: *Die Schriftrollen vom Toten Meer* (Aus dem Amerikanischen übertragen von Friedrich Cornelius), 2 ed., München 1958. Cfr. etiam J. T. MILIK, *Dix ans de découvertes dans le désert de Juda*, Paris 1957.

⁴ BURROWS, *Schriftrollen* 19. — MILIK, *découvertes* 35-36. — BURROWS textum primigenium nostrî operis edidit photographice, adjecta transcriptione typographicis litteris Hebraicis hodiernis expressa in: *The Dead Sea Scrolls of St. Mark's Monastery*, vol. II, fasc. 2, *Plates and Transcription of the Manual of Discipline*, New Haven (The American School of Oriental Research) 1951. — Textus Hebraicus adjecta versione litterali Latina pro manuscripto in usum Scholarum editus est a P. BOCACCIO, S.J., — G. BERARDI, *Srk hyhd, Regula Unionis seu Manuale Disciplinae* (DSD), Fani 1953. Inter Versiones et commentaria hic nominentur: J. T. MILIK, *Manuale Disciplinae*, in VD 29 (1951) 129-158. — W. H. BROWNLEE, *The Dead Sea Manual of Discipline, Translation and Notes*, BASOR, Suppl. Studies 10-12 (1951). — G. MOLIN, *Die Söhne*

de *Sektenkanon*, aliis autem magis placet titulus a Sukenik propositus: *Serek ha-Yahad*, i.e. *Regula Unionis*.⁵ Haec «Regula», certe ante destructionem Jerusalem (70 p. Chr. n.) in speluncam abdita,⁶ e peritorum opinione hodie praevalenti inde a temporibus Maccabaeicis vel etiam prae-Maccabaeicis originem trahere videtur;⁷ at quando prae-cise, qua occasione, quibus circumstantiis scripta sit — aliis alia opinantibus⁸ — adhuc nescimus. Auctor quoque operis a nobis ignoratur. Sunt qui *moreh ha-sedeq*, doctorem justitiae (vel: justum magistrum) hujus textus auctorem putant. Vocabulum *doctoris justitiae* non quidem in IQS, sed non semel in Commentario ad librum Habaquq⁹ et in

des Lichtes, Zeit und Stellung der Handschriften vom Toten Meer, Wien 1952, pp. 19-39 (versio germanica) et pp. 94-100 (commentarium). — G. VERMÈS, *Les manuscrits du désert de Juda*, 2 ed., Paris-Tournai 1954, pp. 39-66 (de communitate Qumranensi) et pp. 135-157 (versio Gallica cum notis). — P. WERNBERG-MÖLLER, *The Manual of Discipline, translated and annotated with an introduction*, Studies on the Texts of the Desert of Judah 1, Leiden 1957. — Qui plura desiderat, in istis libris ampliores indicationes bibliographicas inveniet. Ceteroquin impossibile est hic fere immensam proferre multitudinem librorum ac articulorum qui inde a primis mss inventis in lucem prodierunt. Ex benevolentia cl. G. MOLIN mihi praesto est exemplar dactylographicum bibliographiae ab eodem privatim collectae neque hucusque — quod sciam — publici juris factae cujus in prima parte (usque ad mensem Novembrem 1955) continentur numeri 795, in secunda vero (usque ad mensem Aprilem 1957) numeri 524; tertia pars (inde a mense Majo 1957) nondum in manus meas pervenit. Publici autem juris fecit studium bibliographicum CHRISTOPH BURCHARD, *Bibliographie zu den Handschriften vom Toten Meer*, Berlin 1957. Ex quo tempore liber Burchardi editus est, laborem bibliographicum exceptit novus commentarius periodicus cui est titulus REVUE DE QUMRAN, Paris, inde a mense Julio 1958; *Bibliographie* ibidem 1 (1958-59) [149]-160, [309]-320.

Cfr. etiam *Elenchum Bibliographicum* a R. P. NOBER in *Biblica* promulgatum et in *International Zeitschriftenschau für Bibelwissenschaft und Grenzgebiete*. Postquam hic articulus noster praelo jam comissum est, de similis argumenti articulo scripto ab ANGELO PENNA, *L'ascetismo dei Qumranici*, *Rivista Biblica* 6 (1958) 3-22 certior factus sum, de quo praeter hanc notitiunculam ultimo momento officinae typographicae missam nihil dicere possum.

⁵ Iste titulus «*Serek ha-Yahad*» pro se habet haec tria: et linguistice cohaeret textui, et ex duobus vocabulis in textu frequentibus componitur, et congruit cuidam subtitulo tertiae sectionis (5, 1): *wzh hshk l'nsy hyhd*. Sigla habentur et antiquiora DSD (i.e. Dead Sea Manual of Discipline) et recentiora IQS (i.e. 'prima' spelunca Qumranensis, *Serek ha-Yahad*). Textus citantur indicando columnam et lineam.

⁶ VERMÈS, *manuscripts* 35-36; WERNBERG, *Manual* [1]; BURROWS, *Schriftrollen* 60-67; A. POWELL DAVIES, *The Meaning of the Dead Sea Scrolls*, New York 1956; germanice *Der Fund von Qumran, die Schriftrollen vom Toten Meer und die Bibel*, Übersetzung aus dem Amerikanischen von Fred und Jessica Schmitz, 3^a ed., Wiesbaden 1958, pp. 50-52 et 54-55.

⁷ VERMÈS, *manuscripts* 53; WERNBERG, *Manual* 18-19; BURROWS, *Schriftrollen* 67-83; DAVIES, *Qumran* 36-45, 54-55.

⁸ Totam quaestionem diversis hypothesibus sine ira ac studio prolatis sobrie ampleque dilucidat BURROWS, *Schriftrollen* 99-184.

⁹ Agitur de alio ms apud Mare Mortuum invento; citatur IQPH vel secundum antiquiorem modum a BURROWS propositum DSH. In isto textu de

Documento Damasceno seu Zadoqita¹⁰ legitur. Multa de illo doctore sunt scripta; at vacat hypotheses enumerare, cum quae de hac persona hucusque certo comperimus brevissime edici possint: scimus enim prorsus nihil.¹¹ Alii nostrum *Manuale* e diversis fontibus conflatum esse dicunt cujus in favorem sententiae et partes abrupte juxtapositas et ordinis logici defectum proferunt;¹² quod tamen ultimum argumentum per se sumptum rem non omnino evincere nobis videtur, nam in scriptis Antiqui Orientis «ordo logicus» quem nos dicimus saepe saepius desideratur, ut omnes Orientalium litterarum cultores plane norunt; exemplo sit textus illis quoque qui rebus Orientalibus non sunt imbuti notissi-

doctore justitiae fit mentio 1, 13 (DSS I, LV col. dextr.); 2b, 2 (DSS, I, LV col. sinistr.); 5, 10 (DSS I, LVII col. dextr.); 7, 4 (DSS, I, LVII col. dextr.); 8, 3 (DSS, I, LVIII col. sinistra.); 9, 9-10 (DSS, I, LIX col. dextr.); 11, 5 (DSS I, LX col. dextr.).

¹⁰ Textus in genizah urbis Cairo hieme 1896/97 a S. SCHECHTER inventus et ab eodem 1910 tandem publici juris factus postea pluries editus est; editio photographica ipsius ms prodiit in: *The Jewish Quarterly Review*, Monograph Series N. I, *The Zadokite Fragments*, Facsimile... by S. ZEITLIN, Philadelphia (The Dropsie College for Hebrew and Cognate Learning) 1952, qua usi sumus cum studiis praeviis incubuimus; nunc cum ultimam manum huic articulo adhibeo, haec editio mihi in promptu non est, ideo locos proferam secundum novissimam editionem versione Anglica et commentario ornatam a CH. RABIN, *The Zadokite Documents*, I, The Ammonition II. The Laws; second revised edition, Oxford 1958. — *Doctor justitiae* ibidem nominatur 1, 11 (op. cit. [2]-[3]); 20, 32 (op. cit. 42-43); accedunt quodammodo loci 6, 11 (op. cit. 22-23: «docens justitiam»); 20, 1 (op. cit. 36-37: «doctor unicus»); 20, 28 (op. cit. 40-41: «doctor unicus»); 20, 28 (op. cit. 42-43: «doctor» absolute). Forsitan et «Zadoq» [5, 4] et «pastor (7, 20a. b. = 10, 7. 8.) significant *doctorem justitiae*: cfr. op. cit. 31, nota 3 ad 20a et [100] nota 1 ad 5, 4.

¹¹ Ita etiam clarissimus NÖTSCHER coram, in colloquio quod nuperrime cum eo habui.

¹² BURROWS, *Schriftrollen* 20 «Das Fehlen einer Einheit und eines logischen Aufbaues im Handbuch der Unterweisung weist ja ohnehin darauf hin, dass es nach und nach aus verschiedenen Quellen nach Art eines Exzerptenbuches zusammengestellt ist». Eandem ideam repetit 158. M. DELCOR, *Contribution à l'étude de la législation des sectaires de Damas et de Qumram*, in RB 62 (1955) 75 ambas hypotheses caute jungit scribens «Et il n'est peut-être pas impossible que telle ou telle partie législative du Manuel de Discipline ou du Document de Damas puisse remonter au Docteur de Justice, au Législateur. E. JENNI, *Das Wort 'ölām im Alten Testament*, Berlin 1953, II § 18a, p. 51-52 omnino alia ratione ductus nostrum *Manuale* compilationem esse existimat: «In der "Sektenrolle" (i.e. in IQS) begegnet עלם an 30 Stellen... Dabei steht das nomen rectum von II, 1 - IV, 16.22 jeweils im Plural (עלמים), von IV, 17. V, 6 - XI, 7 dagegen im Singular, Die Bedeutung ist in beiden Fällen durchaus die gleiche... Der Wechsel im Numerusgebrauch wird wohl damit zu erklären sein, dass das Sektenmanual aus verschiedenen Stücken zusammengesetzt ist, die in sich einheitlich den Singular oder den Plural verwendeten. Die Grenzlinie zwischen Singular und Plural fällt nämlich (abgesehen von IV, 17) zusammen mit der Grenze zwischen zwei Hauptabschnitten (III, 13 - IV, 26: lehrhafter Teil / V, 1ff: Gemeindeordnung)». Quae ratio — saltem quoad usum *fontium* (et «usum» inquam usque ad fontes *exscribendos*) — rem mihi evincere videtur.

mus: prima epistola S. Joannis. «Ordo logicus» (sensu nostro) in hac epistola plenissime deficit — attamen fere nullus inter hodiernos (si Dobschütz et Bultmann excipias) unitatem epistolae negat; quae quidem epistola aliis quoque rationibus (obiter sit dictum) nostro Manuali valde cohaeret.¹³

Antequam textuum incipiamus analysim, structuram nostri ms brevi in conspectu ponamus. Initium sumit textus a phrasi paululum mutila quae finem Instituti proponit, quam excipit sectio ritualis in qua praesertim de solempni quadam ceremonia et «ingressus in Ordinem» et «renovationis votorum»¹⁴ fit sermo, quibusdam aliis et ritibus et principiis obiter adjectis.¹⁵ Quae sequitur sectio theologicum continet tractatulum de teleologia vitae hominis qui a providentis Dei consilio inter spiritum bonum virtutesque et spiritum malum vitiaque in spirituali lucta positus praemio vel poenae obviam it.¹⁶ Inde a 5, 1 per plures columnas diversae traduntur normae, regulae, statuta quae ob ordinem logicum prorsus deficientem in extenso poni utique, sed compendiose narrari minime possunt. In ista parte majores habentur sectiones duae «De admissione ad Ordinem»¹⁷ et «De poenis».¹⁸ Textum concludit sectio quodammodo lyrica quam auctores hodierni consueverunt vocare *Hymnum* (vel *Psalmum*) *finalem*.¹⁹

¹³ F.-M.-BRAUN O.P., *L'arrière fond judaïque du quatrième évangile et la Communauté de l'Alliance*, in RB 62 (1955) 32 «Les affinités toutefois nous ont paru les plus marquées entre l'épître [sc. 1 Joa] et le Manuel».

¹⁴ Animadvertas, humanissime lector, usum terminorum qui ad Ordines Religiosos Ecclesiae pertinent nullo modo praejudicium afferre debere quaestioni de rationibus quae intercedant inter Institutum Qumranense et vitam monasticam Christianam. Terminis enim istis in nostro articulo non utimur nisi secundum quandam *analogiam* quae certe nobis brevitati studentibus copia affert compendiose dicendi, et tibi legenti vivam imaginem suscitaret rerum praeteritarum; sed caute monitus noli inde, prudens lector, nimia concludere.

¹⁵ IQS I, 1 - 3, 12; linea 12 post duas tantum voces vacua et initium textus in linea 13 a margine paulo amplius retroactum et finem hujus et initium novae sectionis evidenter indicant.

¹⁶ IQS 3, 13 - 4, 26.

¹⁷ IQS 6, 13 - 6, 23.

¹⁸ IQS 6, 24 - 7, 25 et 8, 16 - 9, 2.

¹⁹ Non concordant autem auctores de *initio* Hymni. Secundum BURROWS, *Schriftrollen* 322, Hymnus incipit jam 9, 24; WERNBERG, *Manual* 139, nota 1, ponit initium in ultimas voces col. 9, quam sententiam communem dicit; VERMÈS, *manuscripts* 154 Hymnum non nisi 10, 9 incipere opinatur. Versio MILIK, in VD 29 (1951) 129-158, media in linea 9, 23 incipit scriptionem stychometricam (cum BURROWS), sed non nisi media in linea 10, 5 ponit titulum «§ 5 Hymnus», quam sententiam in nota ex parvo spatio in ipso ms et paragrapho vel coronide erasa vel casu detrita sub initio 1, 5 confirmat (*loc. cit.*, p. 154). Res momento non caret, ut suo tempore videbimus, nam e genere litterario pendet exegesis danda pericopae 10, 1-8 (de temporibus orationis). Vide infra notam 79.

DE NOMINE INSTITUTI

Diversa sunt nomina quibus in nostro ms ipsum Institutum et singula membra designantur. Ut nomen *Communitatis* יחד (« Unio ») primum obtinet locum; ²⁰ praeterea leguntur vocabula עצה (« consilium/concilium ») ²¹ et עדה (« conventus »), ²² בית קודש (« domus sanctitatis ») ²³ et מוסר אמת (« stabilimentum veritatis »), ²⁴ et cum de amplectendo agitur Instituto ipsum sat frequenter vocatur ברית (« foedus »). ²⁵ *Membra* vel simpliciter « viri unionis » ²⁶ appellantur vel designantur variis titulis uti « filii lucis », ²⁷ « filii iustitiae », ²⁸ « filii veritatis », ²⁹ « filii foederis », ³⁰ « filii consortii aeterni », ³¹ « viri sanctae perfectionis » vel « sanctitatis », ³² « viri quaerentes Deum », ^{32a} « ambulantes in perfectione viae », ³³ « testes veritatis », ³⁴ « electi beneplaciti (divini) », ³⁵ « voluntarii », ³⁶ et quidem vel absolute ³⁷ vel additis quibusdam specifi-

²⁰ Haec vox occurrit: undecies ut nomen sine determinatione (5, 2. 5. 6. 7. 20-21. 21-22; 6, 2-3. 7. 8. 22. 22-23; 7, 6, 23); *septies* in statu constructo (1, 12; 2, 22. 24. 26; 3, 6. 12; 5, 5-6; 9, 2.); *vicies ter* pendet a statu constructo (1, 1. 16; 3, 2. 11-12; 5, 7; 6, 3. 10. 12-13. 14. 15. 16. 18; 7, 2. 6. 17. 18. 24; 8, 1. 5. 10. 11. 12; 9, 6; 11, 8).

²¹ עצה sine determinatione 8, 19. 24. 25; *quindecies* cum יחד (3, 2. 6; 5, 7; 6, 3. 10. 12-13. 14. 16; 7, 2. 24; 8, 1. 5. 11. 22; 11, 8); sed etiam cum aliis determinationibus, ut יחד - אלהי Dei (1, 8. 10); יחד - קודש sanctitatis (2, 25; 8, 20-21); הנהגה Legis (9, 17).

²² Semel tantum (5, 20) ubi textus ad pedem litterae conversus dicit « *ad uniendum se conventui sanctitatis* ».

²³ 5, 6; 8, 5-6; 9, 6.

²⁴ 5, 5.

²⁵ « foedus »: 1, 16. 18. 24; 2, 10; 5, 2. 3. 9. 11. 20. 22; 6, 15.

« foedus Dei »: 3, 12; 5, 7-8; 10, 10.

« foedus aeternum »: 5, 6.

« foedus unionis »: 8, 16.

« foedus hoc »: 2, 12.

²⁶ 5, 15-16; 6, 21; 7, 20. 24; 8, 11. 16; 9, 6. 10. 19.

²⁷ 1, 9; 3, 13. 25.

²⁸ 3, 20. 22; — forsitan etiam 9, 14 (cfr. WERNBERG, *Manual* 90-92, 137).

²⁹ 4, 5.

³⁰ 2, 18.

³¹ 2, 15.

³² 8, 20-21; 5, 18; 9, 8.

^{32a} 8, 11-12, si cum מיליק, in VD 29 (1951) 149 יחד - קודש אל « ... ha-dōrēš 'El; ... ». Ceterae autem versiones mihi notae legunt « ... ha-dōrēš, 'al ... ».

³³ 8, 18 דרך (« via ») hic ipsum *Institutum Qumranense* significare videtur, aequae ac in NT « ὁδός » religionem Christianam significat Act 9, 2; 19, 9. 23; 22, 4; 24, 14. 22; 2 Petr 2, 2. — « *Ambulantes perfecte in via* » (vel expressiones similes) etiam 1, 8; 2, 2; 3, 9-10. 20; 9, 17 « *electi viae* ».

³⁴ 8, 6.

³⁵ כהירי רצון; 8, 6.

³⁶ נרכים 1, 7. 11; מתרבים 5, 1. 6. 8. 21. 22; 6, 13; cfr. « στυγαρχή Ἀσι-δαίων ... πᾶς ὁ εὐαγγελιστὸς τῶν ὁμῶν » 1 Macc 1, 42.

³⁷ 5, 6. 8.

cationibus quae, cum ad rem nostram pertinent, hic enumerentur. Vocantur enim « voluntarii ad faciendum praecepta Dei », ³⁸ « voluntarii ad veritatem Ejus », ³⁹ « voluntarii ad avertendum se ab omni malo et ad abservandum omnia quae praecepit (Deus) in beneplacito suo », ⁴⁰ « voluntarii in Unione », ⁴¹ « voluntarii ad convertendum se in Unione », ⁴² « voluntarii ex Israël ». ⁴³

Nomenclatio haec, quamvis certe doctrinam de fine Instituti dandam directe non intendat, elementa quaedam nobis utilia tamen enurtiat. Quibus vel leviter inspectis certiores fimus unionem Qumranensem esse *Institutum Religiosum* cujus in pietatis cultu momento non careant conceptus beneplaciti divini, sanctitatis, perfectionis necnon lucis, veritatis, justitiae, cujus in vitae ratione dominetur voluntaria aversio a malo, itemque voluntaria ad Deum (ad beneplacitum Dei, ad praecepta divina) conversio, quae omnia fulciantur foedere divino.

DE FINE INSTITUTI

Quod istis vocabulis quae, sparsim per opus, vel Institutum vel membra designant quasi subindicatur, hoc ipsum jam primis in lineis nostris palam edicitur. Legimus enim ibidem: ⁴⁴ «...ad vivendum... *ad quaerendum Deum*... [ad] faciendum bonum et rectum coram Eo, sicut jussit in manu Moysis et in manu omnium servorum suorum prophetarum; ad amandum omnia quae elegit [Deus] et ad odio habendum omnia quae contemnit [Deus]; ad longum fieri ab omni malo et ad adhaerendum omni operi bono; ad faciendum veritatem et justitiam et iudicium; ad jam non eundem in duritia cordis culpabilis et oculorum

³⁸ 1, 7.

³⁹ 1, 11. — Secundum WERNBERG, *Manual* 47, nota 27 ad 1, 11 « veritas » hic est synonyma vox pro « torah »; Auctor citat IQS 1, 7 et Ps. 119 (118), 142; cfr. 1 Macc 2, 42 ut supra. Eandem aequationem תורה = אמת veritas = torah [*Lex*] M. DELCOR, *Contribution...*, in RB 61 (1954) 538 probat ex « parallelismo » inter phrases 5, 8 = 6, 15: « se convertere ad Legem Moysis » « se convertere ad veritatem ».

⁴⁰ 5, 1.

⁴¹ 5, 21.

⁴² 5, 22.

⁴³ 6, 13.

⁴⁴ 1, 1-8; *Puncta* lacunam initialem indicant; textum ad pedem litterae Latine reddimus; quod et in sequentibus, in quantum fieri potest, servabimus. — Textus biblicos non paucos ad quos alluditur, cum in nostrum finem directe non vergat, neque hic neque ad locos ex IQS in sequenti proferendos citabimus.

formationis faciendo omne malum; ad faciendum praecepta Dei in foedere caritatis». ⁴⁵

Qua in paragrapho prima nostri Manualis « *Deum quaerere* » esse finem Instituti Qumranensis luce clarius statuitur. *Deus autem invenitur* — secundum doctrinam ejusdem paragraphi — acquisitâ conformitate voluntatis humanae cum voluntate divina: « amare quod amat, odisse quod odit, facere quod a nobis fieri vult ». Iste conceptus non semel in Manuali repetitur. En habes textum valde conspicuum qui in nostro ms vocatur « *dispositio viae* »: ⁴⁶

9, 23-25: Ad faciendum beneplacitum [divinum] in omni opere manuum... sicut praecepit Deus;
ita omne quod factum est ab eo, beneplacebit ei in voluntarietate;
et extra beneplacitum Dei nihil bene placebit [ei];
[et omnia] verba oris ejus beneplacebunt ei;
et non desiderat sibi quidquam quod non praecepit Deus ».

Nemo est qui non videat perfectissimae conformitatis cum voluntate divina rationem ac normam hîc proponi. Voluntas vero Dei mensura voluntatis humanae esse non potest, nisi cognita sit; cognoscitur autem — facta revelatione in manu Moysi et in manu omnium prophetarum — in Sacra Scriptura. Inde biblica meditatio fit studium praecipuum coetûs Qumranensis; ⁴⁷ studium, inquam, non speculativum sed eminenter pra-

⁴⁵ ברית הַסֵּר; audemus convertere הַסֵּר *caritas* quamvis notatum velimus hanc interpretationem cum grano salis esse intelligendam. — Cfr. ad rem BRAUN, O.P., *L'arrière-fond...*, in RB 62 (1955) 19: la *hesed*, elle, revient plusieurs fois dans le *Manuel*, soit dans l'*Ecrit de Damas...* Ne serait-ce pas déjà une approche de l'*agapé* johannique, dont la pratique et inversement celle de son contraire, la haine, déterminent les deux voies de lumière et de ténèbres.

⁴⁶ וְאֵלֶּה תְּכַוֵּן הַדָּרֶךְ (9, 21); in ipso textu 9, 23-25 notandus est usus tertiae personae (et pronominis *ejus*, *ei*, etc.) cum de Deo tum de homine. Ita in enuntiato « omne quod factum est ab eo, bene placebit ei » sine dubio alterum pronomem stat pro *Deo*, alterum pro *homine*; difficilius autem *utrum* pronomem pro *utro* subjecto significet decernitur. Eadem quaestio recurrit in phrasi sequenti « verba oris *ejus* bene placebunt ei » ubi tamen facilius « verba oris *ejus* » ad revelationem divinam trahuntur et « bene placebunt ei » ad hominem divinae voluntati conformem.

Stilum similem invenies in epistola prima S. Joannis; cfr. v.g. 1 Jo. 3, 24: καὶ ὁ τηρῶν τὰς ἐντολάς αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῷ.

⁴⁷ Optime dicit M. DELCOR, *Contribution à l'étude de la législation des Sectaires de Damas et de Qumran*, in RB 62 (1955) 67-68: « A la lumière des emplois de דָּרֶשׁ dans le IQS, מְדַרְשׁ תּוֹרָה en VIII, 15 signifie donc avant tout l'étude pratique de la Torah. La meilleure manière de trouver Dieu, semble dire IQS, c'est d'étudier sa Loi, de la méditer. Et de fait, le Manuel constate: « Les hommes d'iniquité... ne l'ont pas recherché dans Ses décrets pour connaître les secrets הַסֵּתֵרִים à cause desquels ils avaient erré de façon coupable » (V 10-12). Ce texte est on ne peut plus clair. Il nous révèle le motif fondamental de l'étude de la Torah chez les sectaires de Qumran ».

cticum: non «credo ut intelligam» sed «credo ut faciam». ⁴⁸ Quae in Manuali «credenda» vel «facienda» proponuntur, cum ex stilo fontem Biblicum sapiant semper, ad textus palaeotestamentarios alludunt saepissime, Scripturae locos expressis proferant verbis hinc inde, a nobis non semper ad «revelationem factam in manu Moysis et omnium servorum Suorum prophetarum» reduci possunt. Quaedam apud Qumrân Novi Foederis communitatem potius quam Legem Mosaicam sapiunt. ⁴⁹

Quae omnia ulteriori tractationi relinquentes hîc non agimus nisi de meditatione biblica ac de quibusdam punctis circa praxim orandi.

DE MEDITATIONE SACRAE SCRIPTURAE.

Maximi momenti in pietatis cultu Qumranensi Biblicam meditationem orationemque fuisse paragraphus IQS 6, 6-8 aperte demonstrat quae praecipit:

«ne deficiat in loco ubi sunt decem ⁵⁰ vir quaerens in Lege die

⁴⁸ Cfr. 8, 15: «*Studium Legis, quam dedit in manu Moysis, ad faciendum secundum omnia quae sunt revelata*»; et 9, 18-19: «*Et sic [instructor] faciat ut intelligant secreta mirabilium et veritatis... ad ambulandum perfecte, vir cum proximo suo, secundum omnia quae revelata sunt*».

⁴⁹ Neque tamen indulgendum est opinioni eorum qui apud Qumrân vel originem Christianae religionis vel «christianismum anticipatum» vident.

⁵⁰ מְסִיבֵי עֵשֶׂר שָׁם הָעֵשֶׂרָה MOLIN, *Söhne des Lichtes* 26: «dort wo zehn sind»; VERMÈS, *manuscripts* 145: «à l'endroit où se trouvera la dizaine»; WERNBERG, *Manual* 30: «In a place, where the ten are»; BURROWS, *Schriftrollen* 316: «an einem Ort, wo zehn beisammen sind».

Duae voces מְסִיבֵי (in loco) et הָעֵשֶׂרָה (illi decem cum articulo) ansam praebent diversae interpretationis. Sunt qui textum intelligunt ita: in ipso conventu Qumranensi (numerosa communitate ibi vivente) ordinatio vitae supponit 'cellulas infimas' seu 'nucleos' denorum virorum, cujus in sententiae favore citari potest IQS 2, 21-22; alii autem ex hoc textu *diversos conventus diversis in locis* supponunt (ita VERMÈS, *manuscripts* 40), quo in casu 'illi decem' forsitan esset numerus requisitus ad constituendam 'domum formatam'. Cum inventis archaeologicis componi possit etiam hypothesis inter istas sententias media: «loca ubi sunt decem» neque intelligendi sunt 'nuclei' membrorum in ipso conventu degentium, neque alii et alii conventus, sed sunt coetus membrorum quidem ejusdem Communitatis Qumranensis, in ipso tamen aedificio 'conventuali' (hîrbet Qumrân) habitualiter non commorantes, sed circumcirca in cavernis viventes. Extra ambitum Qumranense in favorem primae sententiae ordinatio vitae communis secundum Sancti Pachomii regulam memorari poterit cf. P. L. 23, cc. 66-67; secundae vero (vel etiam tertiae) sententiae convenire videtur usus vocis מְסִיבֵי (locus) 4Rg. 6, 1. 2. ubi significat aedificium in quo habitant 'filii prophetarum'.

ac nocte⁵¹ jugiter...,⁵² et cuncti⁵³ vigilent in unione⁵⁴ tertiam partem omnium noctium anni⁵⁵ ad legendum in Libro,⁵⁶ ad quaerendum iudicium,⁵⁷ ad benedicendum⁵⁸ in unione ». ⁵⁹

⁵¹ איש דורש בתורה יומם וליילה. Certe dependentiam Regulae Carmeliticae a Manuali Disciplinae neutiquam assero, attamen textum Regulae quae praescribit ut simus « die ac nocte in Lege Domini meditantes et in orationibus vigilantes » tacere non possum.

⁵² Cum voce « jugiter... » incipit linea 7; textus hebraicus vel prout jacet (תמיד על פות איש לדערו) vel propositis 'conjecturis' textum 'emendantibus' ab aliis aliter vertitur. Quomodocumque demum vertatur, non afficit nostrum argumentum de scripturisticae meditationis ac orationis momento secundum textus *Manualis*.

⁵³ והרבים; sequimur versiones BOCCACCIO-BERARDI et MILIK. MOLIN, *Söhne des Lichtes* 26: die Menge; VERMÈS, *manuscripts* 145: les Grands; WERNBERG, *Manual* 30: the Many; BURROWS, *Schriftrollen* 316: die Meister. Cfr. VERMÈS, *manuscripts* 41 « Ces 'Grands' qui sont les membres de plein droit... ». BURROWS, *Schriftrollen* 191 « Die voll eingeweihten Mitglieder heissen die rabbin... ». MILIK, *découvertes* 65 « ... les laïcs n'en constituaient... le grand nombre, comme l'indique d'ailleurs l'expression ha-rabbim, mot à mot les nombreux. Précision qu'outre ce sens restrictif, ha-rabbim a le sens plus large d'assemblée générale... ».

Rabbim cum per se vel « multi » (οἱ πολλοί, inde « cuncti ») vel « grandes » (« magistri ») significare potest, ex contextu IQS melius intelligitur in sensu « omnium eorum qui pleno jure Instituti Qumranensis membra sunt » fere aequae ac nos hodie dicimus « Patres capitulares » (sed cfr. notam 14).

⁵⁴ ביהר; BOCCACCIO-BERARDI ad pedem litterae convertit « in unione »; MOLIN (nescio utrum ex professo an ex inadvertentia) ביהר hic vertendo suppressit; ceterae versiones cunctae reddunt vim vocabuli dicendo « in communi ».

⁵⁵ אה שליית כול לילות השנה Textus per se triplicem interpretationem admittit (cfr. JOUON, *Grammaire*... p. 432; 56 ויראי, ריער רראשן): a) ex numero omnium noctium anni tertia pars obligat ad vigilandum tota nocte (hanc interpretationem apud neminem legi, nisi versio MOLIN, *Söhne des Lichtes* 26 et 168, ita intelligenda sit); b) per totum annum in *Communitate tota nocte* vigilandum est, sed 'vigiliae' ita distribuuntur, ut *singula* membra unaquaque nocte tantummodo ad 'unam vigiliam' (i.e. tertiam partem noctis quae in *tres* vigiliae distribuuntur) obligentur; ita BURROWS, *Schriftrollen* 192; in favorem hujus sententiae adduci potest contextus immediate antecedens, si ibi « die ac nocte jugiter » in sensu prorsus literaliter intelligitur; c) tota *Communitas* vigilare debet tertiam partem uniuscujusque noctis; ita VERMÈS, *manuscripts* 43 et 145; WERNBERG, *Manual* 30 et 104 (nota 22); MILIK, *découvertes* 67.

⁵⁶ לקרוי בספר; scripsimus « in Libro » (cum majuscula) nostram facientes opinionem a VERMÈS, *manuscripts* 145 (in nota ad hunc locum) ut probabilissimam, a WERNBERG, *Manual* 104 (nota 23) et a MILIK, *découvertes* 68 ut omnino certam apodictice propositam, « *Librum* » esse *Toram vel Bibliam*.

⁵⁷ ולרויש משפט « cfr. Jes 1, 17 probably taken by the author as alluding to the exegetical activity of the society. Cf. 8, 24 » (WERNBERG, *Manual* 104, nota 24). Hoc verum videtur, dummodo intelligatur illa « activitas exegetica » in sensu scientiae 'practico-practicae'. Cfr. notam 48.

⁵⁸ לברך; hac voce incipit linea 8; ad locum MILIK, *découvertes* 68: « Quant au prières — car c'est ainsi qu'il faut traduire le mot "bénédictions" du texte — ce sont sans doute celles qui sont attestées par quelque manuscrits fragmentaires de la grotte 4 ». Consentio cl. Auctori « benedictiones » de quibus in nostro loco (ad pedem litterae « ad benedicendum ») ita intelligendas esse; utrum orationes seu preces hae « sine dubio » sint illae quarum fragmenta in spelunca quarta inventa sunt, nescio.

⁵⁹ Vide notam 54; hic etiam MOLIN vertit « in communi ».

Huc quoque pertinet curiosa interpretatio notissimi vaticinii Jesajani (40,3):

8, 13-16: «Separent se de medio habitationis virorum⁶⁰ pravitatis eundo in desertum ad parandum ibi viam hw'h'⁶¹ sicut⁶² scriptum est «*In deserto parate viam...*,⁶³ *rectam facite in solitudine semitam Deo nostro*»; ea⁶⁴ [est] inquisitio Legis⁶⁵ [quam]⁶⁶ praecepit [Deus] in manu Moysis ad faciendum, secundum omnia revelata [de] tempore in tempus⁶⁷ et secundum quod⁶⁸ revelarunt prophetae in spiritu sanctitatis Ejus⁶⁹». ⁷⁰

DE ORATIONE

1. Quando orandum

Ut isti textus de Sacra Scriptura *jugiter* inquirenda, scrutanda, meditata loquuntur, ita alii loci precum formulas *determinatis occasionibus* recitandas praescribunt. Sequendo textus nostri Manualis inde ab initio,

⁶⁰ אנשי הנשי erronee pro

⁶¹ יהוה stat hinc pro יהוה (YHWH).

⁶² Incipit linea 14.

⁶³ ... quatuor puncta in ipso ms stant pro יהוה (YHWH).

⁶⁴ היא pronomen femininum (pro neutro) «id»; vel ad totum enuntiatum jesajanum, vel potius ad alterum incisum tantum se refert quo in casu exegesis loci jesajani proponeretur ita: *In deserto parate viam...* = se recipere in deserto Judae (apud Qumran); *rectam facite in solitudine viam ejus* = inibi inquirere (et in praxim deducere) Legem. Cum hac voce היא incipit linea 15.

⁶⁵ מדרש התורה; midraš est substantivum derivatum a radice דרש (verbum *dārās*, «quaerere»); cfr. IQS I, 1-2 אל לדרוש «ad quarendum Deum»; de significatione hujus radicis plura habet M. DELCOR, *Contribution à l'étude de la législation des sectaires de Damas et de Qumrân*, in RB 61 (1954) 533-553 et 62 (1955) 60-75, praesertim p. 537-538, 66-69, 72-75.

⁶⁶ [quam]: conjiciunt hodierni; haec vox et sensui et spatio in ms vacuo (scriptura erasa vel iniuria temporis deleta) optime cohaeret.

⁶⁷ עת בעת; revelatio non est clausa cum Lege Mosaica, sed «de tempore in tempus» continuatur, qua in re partes agunt speciali mentione dignas viri prophetae.

⁶⁸ כאשר: incipit linea 16.

⁶⁹ ברוח קודשו; in «Spiritu Sancto Ejus»; ut patet, non de Tertia Persona in Ss. Trinitate, sed de Spiritu divino in prophetis agente; cfr. R. KOCH, C. Ss. R., *Geist und Messias*, Beitrag zur Biblischen Theologie des Alten Testaments, Wien 1950, praesertim pp. 28-36, 44-65.

⁷⁰ Sequitur sectio de puniendis iis qui huic Legi revelatae factis propriis contradicunt; ex ista connexionem thematis *de Lege scrutanda* (*dārās*, midraš) cum themate *de Lege observanda* (et de punitione transgressorum) iterum «practicitas» hujus studii biblici apparet.

primum hac in re obviam habemus textum *de ritibus in admissione Novitiorum*⁷¹ perficiendis in quo legimus :

I, 18-21 : « In ingressu eorum in foedus⁷² erunt sacerdotes et Levitae⁷³ benedicentes Deo salvationum et omnibus operibus veritatis Ejus ; et omnes ingredientes in foedus⁷⁴ dicant : amen, amen ».

Aliud tempus « ad benedicendum » idque quotidianum indicatur immediate ante textum fundamentalem de jugi meditatione quem supra jam protulimus, nempe benedictio mensae :⁷⁵

⁷¹ Ita cum VERMÈS, *manuscripts* 136 (cfr. ibi titulum sectionis et versionem loci et notam ad sectionem I, 20 - 2, 18) cui ex modo vertendi forsitan annumerandi sunt MOLIN, *Söhne des Lichtes* 19, et BURROWS, *Schriftrollen* [309] ; contra MILIK, « *Manuale Disciplinae* », in VD 29 (1951) 135 et WERNBERG, *Manual* 55, nota 47 ad 2, 19, qui textum IQS I, 19 ad id quod praecedit referentes totam primam sectionem non de ritu ingressus in Institutum, sed de annuali renovatione foederis interpretantur. In ipso tamen ms et habetur spatium liberum post mediam lineam 2, 18 et textus lineae 2, 20 incipit post spatium in initio lineae, et insuper in margine habetur signum quod novam sectionem indicare videtur. Inde argumentum ex 2, 19 debilitatur ; tenor autem primae sectionis nobis omnino de « ingressu » (et non de « renovatione votorum ») agere videtur. A. DUPONT-SOMMER, *Observations sur le Manuel de Discipline...*, Paris 1951, p. 16 et 21, nostram (quam p. 16-18 ex integro gallice vertit) ceremoniam vocat « *ceremonie d'initiation* » eamque clare distinguit ab altera ceremonia quae IQS 2, 19-23 describitur. Hanc autem « ceremoniam initiationis » accuratius determinando addit (p. 16) : « ... cette liturgie solennelle, au cours de laquelle les néophytes, — ayant été au préalable examinés, puis élus par tous les confrères —, ' passent dans l'Alliance ', c'est-à-dire s'engagent définitivement... » Quam sententiam WERNBERG, *Manual* 55, ad 2, 19 ita reddidit : « DUPONT-SOMMER, however, thinks that the two sections deal with two different ceremonies, I, 1 - 2, 18 describing the admission of novices into the community ». Quae cum ita sint, utrum ex mente Dupont-Sommer haec « ceremonia initiationis » intelligenda sit de « postulantis » in novitiatum ingredientibus an potius de his qui omni probatione peracta « professionem solemnem » emittunt, decernere non audeo.

⁷² וּבְעוֹרֵם בְּרִיתָא ; ad pedem litterae « in transitu eorum in foedus » ; istud « transire in foedus » est terminus technicus pro *ingressu in Institutum Qumranense* in locis I, 20-24 ; 2, 10 ; (2, 12 ; 5, 8. 20. legitur eodem sensu « ingredi in foedus ») ; suffixum ׀ (« eorum ») secundum nostram sententiam refertur ad ' aspirantes ' ; secundum sententiam MILIK et WERNBERG refertur ad totam communitatem (quo in casu « transire in foedus » hinc esset terminus technicus qui indicaret « renovationem votorum »).

⁷³ « et Levitae » : incipit linea 19.

⁷⁴ הַעוֹבְרִים בְּרִיתָא : incipit linea 20 ; cfr. notam 72.

⁷⁵ Multa de « sacra cena » Qumranesiorum virorum scripta sunt ; qua mente et quo animo non pauci hac de re disserunt, optime videtur in expositione quam nobis exhibet DAVIES, *Qumran* 136-141 : incipit affirmando « Sacra cena sectariorum Qumranensium palaeochristiano sacramento ' Cenae ' fere aequalis fuit » (op. cit., p. 136) ; pergit dicendo : « Haec ergo fuit sacra cena Essenorum de qua dici potest : sacra cena praeursorum Christianorum omnino eadem fuit » (p. 139) ; tandem concludit quaerendo « Remanet quaestio... utrum de dependentia agatur an potius de identitate ; Christiani dependebantne ab Essenis, an fuerunt ipsi secta quaedam Essenorum ? » (p. 141). Quidquid sit de « cena eschatologica » cujus mentio fit in alio manuscripto סֵרֶךְ הַעֲרָה (« Regula

6, 4-6 : « Et erit quando praeparabunt mensam ad manducandum vel mustum ⁷⁶ ad bibendum : ⁷⁷ sacerdos mittat manum suam primum ⁷⁸ ad benedicendum ⁷⁹ in principio ⁷⁸ panem vel mustum ad bibendum ».

Tertius tandem hac in materia textus legitur in columna decima, cujus de genere litterario disputatur,⁸⁰ quo incerto manente exegesis pericopae danda sat anceps haeret. Si enim pericopa 10, 1-8 integra (vel saltem ex parte) ad « hymnum » vel « psalmum » non pertinet, tota (vel ex parte) « juridice » interpretanda est, quo in casu huic sectioni jure merito imponendus est titulus « *De temporibus orationis* »⁸¹ atque exegetae erit determinare « valorem chronologicum » terminorum qui hac in sectione occurrunt neque nimia claritate eminent; quod si praestaverit, habebimus « horarium » et (partim saltem) « calendarium liturgicum » Instituti Qumranensis.⁸²

congregationis ») appellata (IQSa 2, 11-22; vide BARTHÉLEMY-MILIK, *Discoveries in the Judaean Desert, Qumran Cave I* (QC I) 107-118; textus IQSa 2, 11-22 ibidem p. 110-111 (Hebraice) et p. 117 (Gallice) qui textus non nostrum Institutum Qumranense sed alium quendam coetum respicere videtur (cfr. QC I 108), in nostro textu IQS 6, 4-5 nos nihil videmus nisi *benedictionem mensae* (Tischgebet). Ideoque locum hic proferimus. Curiositatis causa addam verbum latinum *benedicendi* a Judaeis hodiernis — quacumque demum lingua ceteroquin utuntur — in forma judaeo-germanica usurpari ad indicandam benedictionem mensae. Parata enim mensa senior qui adest ceteros ad benedictionem mensae recitandam hortatur dicendo « *wir wollen bentschen* ». (Communicatio oralis mihi facta a cl. Charles Chaim Horowitz, lectore Rabbinisticae in Universitate Bonnensi).

⁷⁶ תירוי; per se significat mustum (nondum fermentatum, succum uvaram); sed etiam vinum (dulce, leviter fermentatum) significare potest. — Quaestio de תירוי, cum ad nostrum intentum non pertinet, hic d lucidanda non est; cfr. VERMÈS, *manuscrits* 60-61 et MILIK, *découvertes* 68-69 qui ambo ex GRINTZ, *Sinai* 16 (1952) 15 citant textum e Talmud Jerusalmi quem tamen dimidiatè proferunt: ךNed VII 1, Gemara, in fine; apud CH. HOROWITZ, *Jeruschalmi... Nedarim...*, Düsseldorf 1957, p. 81.

⁷⁷ לשתות: incipit linea 5.

⁷⁸ בראשית לרשתה. Cum MOLIN, *Söhne des Lichtes* 26, et WERNBERG, *Manual* 30 et 103, nota 16 ad 6, 5 (ubi citat KUHN) ambas voces adverbialiter intelligimus: « primum... in initio »; MILIK, VD 29 (1951) 145 et VERMÈS, *manuscrits* 145 et BURROWS, *Schriftrollen* 316 בראשית ad « panem » trahunt: « primitivae panis ».

⁷⁹ להברך: incipit linea 6; ad grammaticos spectat hic occurrere formam *hifil* radices ברך.

⁸⁰ Cfr. notam 19; formidine errandi non sublata in alteram inclinamur sententiam quae textum non juridice sed potius *lyrice* compositum esse putat.

⁸¹ Ita VERMÈS, *manuscrits* 153: « Le temps sacré de la prière ».

⁸² Textum ipsum, cum sit intellectu difficilis atque specialem exigeret commentationem quam hic praestare longum est, non in extenso proferimus sed sufficiat dicere secundum hanc sententiam nostro in loco tempora orationis indicari sequentia: solem orientem, meridiem (?), solem occidentem; initium vigiliarum, dies sanctitatis, initia annorum; festivitates messis, aestatis, sementis, herbarum (veris); solemnitates septem annorum et septies septenorum annorum.

Si autem tota sectio ad lyricam Manualis perorationem pertinet, exegeta (saltem sub nostro respectu) ab onere inveniendi exactam vim terminorum liberatur, nam tunc enuntiata singula et phrases universae nihil aliud intendunt nisi alte proclamare hoc unum : *oportet semper orare et numquam deficere*.⁸³

2. De precibus in communi

Quae continua oratio et meditatio fiebat et coetu congregato vicissim et choraliter *ab omnibus*, et coetu dimisso *a singulis* in cordibus eorum; et forsan (quamquam textus non sunt tam expliciti) aliquando in communi quoque silentes ac meditabundi in Libro legebant.

Legimus enim de sacerdotibus et de Levitis alta voce recitantibus atque de 'populo' vel 'ceteris', vel de 'novitiis', pro casu, respondentibus;⁸⁴ ubi patet agi de coetu congregato atque de precibus alta voce dicendo. Eundem sensum videntur habere textus quidam alii, ut verbi gratia :

6, 2-3 : « Et in communi⁸⁵ comedant,
et in communi benedicant,
et in communi consulant ».

vel 10, 14 : « Benedicam Ei, — oblatio effati labiorum meorum — ex ordine virorum ».⁸⁶

In priore textu « consultatio in communis » sine dubio elatam vocem supponit, de « benedictione in communi » supponi potest. Posterior textus, prout a nobis intelligitur, allusionem ad *recitationem choralem*⁸⁷

⁸³ Luc 18, 1.

⁸⁴ V. gr. in prima sectione (1, 18 - 2, 18) ubi de ritibus admissionis ad Communitatem agitur (cfr. tamen notam 71); itemque in sectione secunda (2, 19-25) de 'renovatione votorum'; etiam, ubi de communi refectioe ac benedictionibus ibi recitandis agitur (6, 4-5).

⁸⁵ Ter יחד; sensus adverbialis (« unâ » = « in communi ») qui in usu biblico fere unicus dominatur, sed praeter hunc locum in Manuali non recurrit, hic e contextu omnino evidens est.

⁸⁶ ואמרנו תרומת מוצא שפתי מסערכת אנשים

⁸⁷ « ex ordine virorum » : laudes divinae ascendunt ad Deum e multitudine virorum in ordine « choralis » dispositorum; מערכה (a radice ערך, *ordinate disporre*) significat « dispositionem multorum in seriem (vel series) », praesertim in sensu militari (« ordo » militum, *Soldaten « in Reih und Glied »*); cfr. ZORELL, *Lexicon Hebraicum* 460. Hac in interpretatione nostri textus sequimur WERNBERG, *Manual* qui (p. 37) vertit « in the row of men » et in commentario (p. 144, nota 44 ad 10, 14) addit : « The phrase alludes to the row of men at

divinarum laudum continere videtur. Non tamen omnes huic interpretationi subscribunt.⁸⁸ Ceteroquin textus IQS 6, 6-8, quem jam protulimus,⁸⁹ certo praescribit vigiliis *in communi*⁹⁰ «ad legendum in Libro, ad quaerendum iudicium, ad benedicendum»; sed non dicit utrum ista lectio, meditatio, oratio fieri debeat alta voce necne. Forsitan, saltem ex parte, in istis vigiliis meditandum silentium a congregato coetu servari solebat.

3. De jugi oratione personali

De privata neque umquam interrupta *cordis laude divina* semper et ubique canenda pulcherrimum legimus testimonium in 'psalmo' finali.

10, 13-17: «In initio mittendi manus meas et pedes meos⁹¹
benedicam nomini Ejus;

In initio exeundi et introeundi, sedendi⁹²
atque surgendi, necnon in cubili strati mei
jubilem Ei;
.....⁹³

Antequam⁹⁴ elevo manus meas
ad satiandum me deliciis frugum orbis terrarum,
In initio pavoris et horroris
et in stabilitate⁹⁵ angustiae et desolationis benedicam⁹⁶
Ei ».

worship. The military phraseology has an interesting parallel in Arab. *saffun* which means 'a row of soldiers or of worshippers' (cfr. FISCHER, *Arabische Chrestomatie*, p. 68) ».

⁸⁸ Longum est hic ceteras versiones ab aliis propositas plene discutere; sufficiat ergo quorundam vertendi tentaminum elenchus: BOCCACCIO-BERARDI, *Regula...*, ad locum: «Et benedico Ei oblatione effati labiorum meorum *ob res paratas virorum* ». MILIK, in VD 29 (1951) 155: «Et benedico Ei oblatione effati labiorum meorum *pro appparata mensa hominum* ». MOLIN, *Söhne des Lichtes* 32: «und Ihn preisen, *dass Er meine Lippen aus der Reihe der übrigen Menschen herausführt* ». VERMÈS, *manuscripts* 155: «je Le bénirai par l'offrande qui sort de mes lèvres *pour ce qu'Il a établi aux hommes* ». BURROWS, *Schriftrollen* 323: «Ich will Ihn preisen mit dem Opfer, das meine Lippen reden, *das Ihm mehr gilt als die Gaben, die die Menschen ansbreiten* ».

⁸⁹ Cfr. in hoc articulo p. 399-400.

⁹⁰ «בִּירָר»; cfr. notas 54 et 59.

⁹¹ Modus dicendi idiomatice quem ad pedem litterae convertimus; sensus est: «in initio cujuscumque negotii mei». Cfr. Dt 12, 7; 15, 10; 23, 21; 28, 8 (ex BROWNLEE citat WERNBERG, *Manual* 145, nota 39 ad 10, 13).

⁹² Incipit linea 14.

⁹³ Puncta indicant hic omissum esse textum quem supra p. 404 jam protulimus (cfr. notas 86-88).

⁹⁴ Incipit linea 15.

⁹⁵ וּבְמִכּוּן; = cum perdurat...; (alii aliter).

⁹⁶ Incipit linea 16.

Uno verbo, in omni circumstantia vitae meae, cum quotidianis occupo curis, cum triste quoddam vel jucundum mihi contingit, semper et ubique jubilem Deo.

4. De precum formulis

Cum pietatis cultus Qumranensis — uti vidimus — et preces alta voce in communi dicendas et assiduam meditabundamque 'lectionem in Libro' et jugem uniuscujusque orationem cordis exigit, quaedam nobis dicenda remanent et de precum formulis et de ideis meditando conceptis et de privato singulorum usu cum Deo. Spatium tamen et limites hujus articuli e tribus his sectionibus exarandis nonnisi primam nobis permittunt.

Formulae in extenso proferuntur in Manuali quatuor : confessio peccatorum, benedictio sacerdotalis, imprecationes duae (contra pravos in genere altera, altera contra perfide coetum Qumranense ingredientes). Formulae istae, cum tria 'genera' orationis ob oculos nobis ponant, hic repetantur, omissa tamen maledictione secunda quae longior quidem est, sed conceptus novos non addit.

I, 24-21 : *Confessio peccatorum* :

[Om]nes⁹⁷ transeuntes in foedus⁹⁸ confitentur post eos⁹⁹ dicendo :

« Nosmetipsos pervertimus, [rebellavimus, pec]cavimus,¹⁰⁰ impie egimus, nosmetipsi [et patr]es¹⁰¹ nostri ante nos, in eundo...¹⁰² et miserationes caritatis¹⁰³ Suae [t]ribuit¹⁰⁴ nobis a saeculo usque in saeculum ». ¹⁰⁵

⁹⁷ כול; in ms non videtur nisi pars superior litterae ל.

⁹⁸ העברים בכרית cfr. notas 71 et 72.

⁹⁹ « Post eos » sc. post Levitas qui antea depravationes Israël enumeraverant; vide infra.

¹⁰⁰ Linea 25 incipit cum lacuna quae teste WERNBERG, *Manual* [40], a plerisque peritis restituitur ita : פשעני ה[ע]מי אמי

¹⁰¹ [ואנכ] ויתני; de hac formula vide articulum scriptum a J. SCHARBERT, « *Unseve Sünden und die Sünden unserer Väter* », in BZ (NF) 2 (1958) [14]-26.

¹⁰² Linea 26 incipit iterum cum lacuna; sequitur « veritas et justitia... *judicium Ejus in nos et in patres n[ostros]* »; lacunae initialis et media vario modo a peritis restituuntur, certitudine deficiente.

¹⁰³ ורחמי הסרי; cfr. notam 45; incipit col. 2, lin. 1.

¹⁰⁴ [ו]ל; restitutio practice certa.

¹⁰⁵ De hac formula vide E. JENNI, *Das Wort 'olām im Alten Testament*, Berlin 1953, II, § 13, p. 38-39, cujus e sententia haec formula, tardioribus praesertim Bibliae libris familiaris, neque infinitam durationem uti talem inculcat neque conceptum aeternitatis profundiorum manifestat, sed simpliciter solem-

2, 2-4 : *Benedictio sacerdotalis* ¹⁰⁶

Et sacerdotes ¹⁰⁷ benedicunt omnes viros ¹⁰⁸ sortis Dei, illos qui ambulant perfecte in omnibus viis suis, et dicunt :

« Benedicat te in omni bono ¹⁰⁹

et custodiat te ab omni malo

et illuminet cor tuum prudentia vitae

et clementer largiatur tibi scientiam aeternitatis ¹¹⁰

et ¹¹¹ elevant faciem caritatis Suae ¹¹²

in omni [re] ad pacem aeternitatum ».

2, 4-10 : *Imprecatio contra pravos in genere* :

Et Levitae ¹¹³ imprecantur omnibus viris sortis ¹¹⁴ Belial ¹¹⁵ et respondent et dicunt :

« Maledictus tu in omnibus operibus

malitiae culpabilitatis tuae ;

tradet te [Deus] in ¹¹⁶ vexationem

in manu omnium vindicantium vindictam ;

infligat post te ¹¹⁷ consummationem

niore stilo liturgico (similiter ac « amen ») dicta confirmat. Quod etiam hic valere nobis videtur potius quam sententia polemica quam e Berakôt IX 5 citat VERMÈS, *manuscripts* 137, nota ad 2, 1 : formulam hanc introductam esse contra haereticos negantes saeculum futurum.

¹⁰⁶ WERNBERG, *Manual* 51-52, nota 6 ad 2, 2, hunc formulam simpliciter vocat *an expandet version of Num. 6, 24-26* ; VERMÈS, *manuscripts* 137, nota ad 2, 2-3, et 116 citat quartam benedictionem (sic !, sed est *petitio*) formulae sic dictae *šemoneh esreh* ex W. STAERK, *Altjüdische liturgische Gebete*, 2a ed., Berlin 1930, p. 12. Cfr. P. RIESSLER, *Altjüdisches Schrifttum ausserhalb der Bibel*, Augsburg 1928, p. 8.

¹⁰⁷ הכהנים cum articulo ; agitur de benedictione durante sacro ritu impertienda ; quaedam notetur inconcinnitas : praecedit confessio peccatorum a « traseuntibus in foedus » peragenda ; rubrica benedictionem dandam esse dicit « omnibus viris sortis Dei... », ergo totam communitatem in unum congregatam respicere videtur ; in ipsa formula tandem venit secunda persona singularis « *benedicat te...* » ; BURROWS, *Schriftrollen* 310 hic et in maledictione sequenti habet 2 *pl* (*vos*) ; probabiliter anglice « you » quod ab illo, qui librum Germanice reddidit, versum est in sensu 2 personae *pluralis*.

¹⁰⁸ Incipit linea 2.

¹⁰⁹ Incipit linea 3.

¹¹⁰ Cfr. E. JENNI, *Das Wort 'ölām im Alten Testament*, Berlin 1953, II § 16, p. 47-49 et § 18a, p. 51-52.

¹¹¹ Incipit linea 4.

¹¹² פני הסריי ; « facies gratiarum » ; opponitur (in maledictione sequenti) « facies irae » cfr. notam 45 de conversione הסריי *caritas*.

¹¹³ והלויים cum articulo ; prosequitur idem ritus sacer in quo et confessio peccatorum et benedictio sacerdotalis locum habent ; maledictio sequens inspirationem suam certe trahit a textibus velut Dt 27, 14-16 ; 28, 16-19 ; recte notat ZORELL, *Lexicon Hebraicorum*, 82, tali formula a futuro peccato et actione vitanda absterri audientes (quod et in nostro casu applicandum videtur).

¹¹⁴ Incipit linea 5.

¹¹⁵ בליעל, passim in nostro ms diabolus ita vocatur ; cfr. Βελιαρ 2 Cor 6, 15.

¹¹⁶ Incipit linea 6.

¹¹⁷ ויפקור אחריכה BOCCACCIO-BERARDI, *Regula...*, et MILIK, in VD 29 (1951) 137 vertunt « *post [mortem] tuam* » ; ceteri intelligunt in sensu « *infligat tibi* ».

in manu omnium reddentium retributiones ;¹¹⁸
 maledictus tu, ut non sint miserationes,
 secundum tenebras operum tuorum ;
 ira vindice plexus tu
 in¹¹⁹ caligine ignis aeternitatum ;
 non misereatur tui Deus cum clamaveris
 neque condonet ad expiandum iniquitates tuas ;
 elevet¹²⁰ faciem irae Suae ad punitionem tuam
 neque sit tibi pax in ore omnium tenentium patres », ¹²¹
 Et¹²² omnes transeuntes in foedus dicunt post benedicentes et
 maledicentes : « amen, amen ».

5. De magnificando Deo ac confitendis peccatis

Praeter istos quatuor textus in quibus formulae recitandae ad pedem litterae proferuntur, item quatuor habentur loci, ubi « rubrica » argumentum quidem recitandae orationis seu formulae indicat, sed textum in extenso non dat. Legimus enim — contextus est de eadem ceremonia de qua hucusque fuit sermo — sacerdotibus et Levitis *benedicendum esse Deo salutis et omnibus operibus veritatis ejus*¹²³ et exinde separatim sacerdotibus *enarrandas esse justitias Dei in operibus potentiae Ejus*¹²⁴ et *praedicandum esse amorem misericordem*¹²⁵ [Dei] *erga Israël*¹²⁶ et Levitis *enarrandas esse omnes pravitates filiorum Israël et omnes iniquitates culpabilitatis eorum in dominatione Belial.*¹²⁷

6. De iurejurando ab intransibus praestando

Quartus tandem textus in columna 5 legitur, quae — post tractatum potius theologicum de fine hominis — incipit a verbis « Haec est

¹¹⁸ Incipit linea 7.

¹¹⁹ Incipit linea 8.

¹²⁰ Incipit linea 9.

¹²¹ אֱמֹנֵי אֲבוֹתַי כִּי כֹל אֲבוֹתַי אֲמֵנוּ textum prout jacet ad pedem litterae convertimus ; « qui tenent patres » essent in hac sententia illi qui fideliter sequuntur normam patrum ; huic interpretationi consentiunt VERMÈS, *manuscrits* 137 « ceux qui s'attachent aux Pères », MOLIN, *Söhne des Lichtes* 20 « die an den Erzväteren festhalten » (et addit parenthesim explicativam « an der rechten Überlieferung ») ; alii aliter.

¹²² Incipit linea 10.

¹²³ I, 18-19.

¹²⁴ גְּבוּרָתוֹ quomodocumque demum haec forma explicanda est, suffixum certe ad Deum referendum est.

¹²⁵ וְהִסְרֵי רַחֲמִים ; cfr. notas 45 et 103.

¹²⁶ I, 21-22.

¹²⁷ I, 22-24 ; de *Belial* cfr. notam 115.

regula pro viris Unionis » et « codicem » legislativum continet. Materia autem, de qua agitur in nostro textu cohaeret illis quae antea diximus, nam hîc quoque agitur de « novitiis » recipiendis.¹²⁸

5, 7-II : Et haec [sunt] statuta¹²⁹ viarum eorum¹³⁰ super omnia praescripta haec quando aggregantur ad Unionem : omnis qui intrat in concilium Unionis,¹³¹ intrabit¹³² in foedus Dei ante oculos omnium voluntariorum et stabiliat super animam suam jusjurandum obligationis *se conversum iri ad Toram Moysis, quam praecepit [Deus], in toto corde¹³³ et in tota anima, secundum omnia quae revelata sint de ea [= de Tora] filii Sadoq, sacerdotibus¹³⁴ custodientibus foedus et quaerentibus beneplacitum Ejus [= Dei], et multitudini¹³⁵ virorum foederis eorum,¹³⁶ voluntariorum¹³⁷ Unionis ad veritatem Ejus et ad ambulandum in beneplacito Ejus. Itemque in foedere stabiliat super animam suam *se separatum iri ab omnibus viris iniquitatis qui ambulant in via¹³⁸ impietatis... ».**

Sequitur sat longa descriptio « viae pravorum » quae ab argumento urisjurandi deflectit.

¹²⁸ Sed cfr. notam 71 et 72 ; attamen etiam in sententia eorum, qui prima in sectione *Manualis* ritum sacrum « renovationis votorum » describi autumant, quaedam inter talem sectionem et textum hunc servaretur cohaerentia, quia tunc in sectione altera de *voto primo emittendo*, de *voto autem renovando* in altera esset sermo.

¹²⁹ Ms. habet ... ואלה תכין (« et haec [pl.] statutum [sing.] »).

¹³⁰ « via » hîc non in sensu religioso vel ethico (« vita in Unione » vel « mores » in genere) intelligenda est, sed in sensu profano-juridico et aequivalet fere expressioni « *modus procedendi* » ; ita recte MILLIK, in VD 29 (1951) 143 ; similiter VERMÈS, *manuscripts* 143 ; ceteri ad pedem litterae vertunt « *vias* ».

¹³¹ לענת יחד ; terminus hîc (e contextu) de « Unione » simpliciter, i.e. de Instituto Qumranensi quod amplectere desiderat « ille qui intrat », non autem de quodam *coetu speciali* intra communitatem intelligendus videtur.

¹³² Incipit linea 8.

¹³³ Incipit linea 9.

¹³⁴ Cum articulo !

¹³⁵ cfr. δὲ πλῆθος Act 4, 32 et praesertim 6, 2 ubi totam communitatem Christianam significat quae ab Apostolis in comitium convocatur.

¹³⁶ Sc. filiorum Sadoq sacerdotum ; foedus vocatur « foedus sacerdotum » in quantum illi « custodiunt foedus » ut paulo antea dictum est.

¹³⁷ Incipit linea 10 ; « ... virorum... voluntariorum Unionis ad veritatem Ejus... » (ita ad pedem litterae) intellige « ... virorum Unionis qui voluntarie se devovent veritati Ejus... ».

WERNBERG, *Manual* 95, nota 39 ad 5, 10 hanc phrasim de devoto studio *Torae intelligendam esse* e contextu patere dicit, insuperque notatum vult et hîc et columma I *allusionem ad studium Legis excipi a monitione ad sanctitatem vitae* ; cfr. quae scripsimus supra, p. 398 et notam 48.

¹³⁸ Incipit linea 11.

CONCLUSIO

Summam confecturi de istis notitiis haustis e textibus qui vel finem. Instituti proclamant, vel de jugi meditatione Sacrae Scripturae ac intensa praxi orationis loquuntur, vel quasdam precum formulas sive expressis verbis sive indicatis argumentis nobis pandunt, quamvis pauca sint quae hic congerere potuimus, tacere non possumus altissimum conceptum vitae spiritualis ex istis vel paucis textibus elucentem; vitam, inquam, vere spiritualement eorum qui exierunt in desertum quaerentes... ipsum Deum: « Regula pro viris... *lidrōs El* [ad quaerendum Deum] ».

De precum formulis pauca addantur:

a) Formula Qumranensis ad confitenda peccata (« peccavimus nosmetipsi et patres nostri ante nos ») praxim 'exclusivam' quorundam coetuum 'sapientium' qui se heredes sanctorum tantum Patrum, non autem imitatores majorum durae cervicis asseruerunt respuens apprime cohaeret *usui communi* qui in pietatis cultu et populi congregati et singulorum piorum *inde a Jeremiae temporibus* diffusus Judaismo usque ad tempora Christi proprius est.¹³⁹

b) Formula benedictionis, quamvis non sit neque intendat esse formula theologico-dogmatica, tamen conceptus fundamentales ideologiae Qumranensis prodit: divinam caritatem quae protegendo a malo (moralis) et adjuvando in bono et largiendo scientiam quae ducit ad vitam aeternam¹⁴⁰ tandem concedit requiem aeternam.¹⁴¹

c) Imprecationes quae durae nobis fortasse videntur, intelligantur ex duplici capite: in quantum revera mala imprecantur, tangunt directe viros *sortis Belial*, ergo vires diabolicas in hoc mundo,¹⁴² et insuper talis execratio remedium utile est contra defectiones *bonorum* qui inde a cedendo tentationibus deterreantur. — Nota inter mala quibus plectuntur viri *sortis Belial* « *caliginem ignis aeterni* ».

d) Argumenta eorum quae a sacerdotibus et Levitis in receptione novitiorum (vel « renovatione votorum ») recitentur thema proferunt ap-

¹³⁹ Cfr. J. SCHARBERT, « *Unsere Sünden und die Sünden unserer Väter* », in BZ(NF) 2 (1958) 26, numerum 5 et 6 conclusionum ibi compendiate expositarum.

¹⁴⁰ In favorem hujus interpretationis notetur parallelismus syntheticus prudentia vitae / scientia aeternitatis: ambo termini sunt manifeste synonymi.

¹⁴¹ שְׁלוֹם עוֹלָמִים; pax aeterna; cfr. de « vita aeterna » (« *prudentibus* » danda) Dan 12, 2-3.

¹⁴² Forsan nimia ac falsa lenitate ducti realem praesentiam *malis, pravi, perversi*, uno verbo *diabolici* in hoc mundo diluimus et practice fere negamus. Nonne ipse S. Joannes, ceteroquin notissimus ex idea dilectionis, scripserat: « *καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε* » (2 Jo 10-11)?

prime biblicum : magnalia Dei atque Ejus erga Israël praedilectionis amorem — et Israëlī beneficiorum immemorem animum atque mores iniquos.

e) Formula tandem jurisjurandi, prout ex argumento intelligi potest, optime atque concise idearum quae in pietatis cultu Qumranensi fundamenta constituunt, continet summam : *aversionem a malo et a communitate pravorum ; conversionem ad Deum per studium Legis ac vitam huic cohaerentem in societate foederis sub ductu sacerdotum.*

Multa adhuc dicenda remanent. Quae in ista formula quasi in nuce continentur, enucleanda sigillatim essent, ita ut ex ipsius Manualis locis prolatis, discussis, explicatis monstraretur quaenam apud Qumrân ideae, quinam conceptus e studio Legis fuerint nati, qualis inde singulorum usus et commercium cum Deo ortum sit, quomodo ibidem « theoriae » huic convenerint mores et vitae per praxim virtutum — virtutum, inquam, et *in genere* earum quibus recte vivitur et *in specie* earum quibus monastica vita fundatur — quae in tali Instituto disciplinae temperatio, quis modus regendi... quae omnia tamen librum non parvum implerent, at articuli limites manifestissime transgrediuntur.

Ad ea autem quae Qumranensem pietatis cultum, orationem, virtutem spectant Deo volente ac si vita comes fuerit sermo in hac sede redibit.

Bonn, 1958.

FR. SUITBERTUS A S. JOANNE A CRUCE, O.C.D.